Sit omnibus notum quod nos Bernardus Olivarii parrochie sancti Martini de Canneto et eius filius Guillelmus Olivarii, attendentes venerabilem dominam abbatissam mo-
nasterii sancti Danielis Gerunde predecessoribus nostris concessisse molendinum quod ipsa et dictum monasterium habebant et possidebant in riaria de Torniavellis in alodio eiusdem mo-
nasterii apud Vallem Rectam, quod molendinum est de districtu; attendentes etiam nobis de facto fieri seu prestari impedimentum in rehedifficacione dicti molendini, quod
per inundaciones aquarum dirutum fuit, videlicet per Geraldum de Mansione et quosdam alios parrochie de Canneto; attendentes etiam quod longe utilius est nobis ius
nostrum cedere dicto monasterio, sub quo ipsum molendinum habemus et possidemus, et ad quod monasterium dominium dicti molendini spectat, quam facto contendere cum
predictis propter rixas et contenciones ac labores et sumptus inde de facili contingendos malicia seu potencia partis adverse; ideirco gratis et ex certa sciencia
per nos et nostros absolvimus, diffinimus remittimusque vobis venerabili domine Beatrici Dei gratia abbatisse monasterii supradicti licet absenti et dicto
monasterio perpetuo, in posse notarii subscripti nomine vestro stipulantis et recipientis, et etiam in manu et posse Petri de Villacorso clerici presentis procuratorisque
vestri et dicti monasterii et pro vobis et dicto monasterio recipientis, totum dictum molendinum cum omnibus eius iuribus et pertinenciis, ita quod vos et vestri suc-
cessores in dicto monasterio possitis dictum molendinum cum suis iuribus et pertinenciis stabilire, concedere, dare, vendere, alienare et omnes alias vestras facere volun-
tates sine retentu et condicione aliqua [illegible] vobis et dicto monasterio perpetuo omnia iura et actiones reales et personales et alias quascumque
nobis in predicto molendino et eius pertinenciis pertinentes et pertinere debentes quoquomodo; constituentes et facientes vos et vestros successores in dicto monasterio
in predictis perpetuo dominos et procuratores in rem vestram ad faciendum inde omnes vestras voluntates. Et nichilominus donamus donacione pura et irrevo-
cabili inter vivos vobis dicte domine abbatisse et dicto vestro monasterio omnes lapides, cementum et etiam alia apparamenta que preparaveramus ad construccionem
seu rehedifficacionem dicti molendini, et de quibus vestras possitis facere voluntates. Hec igitur omnia et singula supradicta facimus, promittimus et paciscimur in posse
notarii subscripti nomine omnium quorum interest et interesse poterit legitime stipulantis, paciscentis et recipientis. Actum est hoc .XV. kalendas octobris, anno Domini M. CCC.
tricesimo tercio. Signum Bernardi Olivarii. Signum Guillelmi Olivarii eius filii predictorum qui hec firmamus et laudamus.

Testes huius rei sunt: discretus Alfonsus Usserii iurisperitus et Arnaldus Abonis Gerunde.

Signum Petri Massaneti notarii publici substitutus auctoritate regia a domino [illegible] Torilano notario Gerunde publico, qui hoc scribi fecit et clausit cum supraposito in linea [illegible] ubi dicitur [illegible] et raso in linea .VIII. ubi dicitur [illegible].

17-9-1333

nº 642

T. 359 x 268

den Oliuer de Canet N. 4

Reyneturia feta per bernat oliuer de canet ala abadessa de sanct damia [illegible] moli [illegible] tornada

AC 1/V 368 Num 2 del plec quint de Canet

(671)

11